

Diss. de fato uxoris Loti non miraculoso / [Franz Wilhelm Stengler].

Contributors

Stengler, Franz Wilhelm.
Heumann, C. A.
Universität Jena.

Publication/Creation

Jena : J.P. Lindner, 1708.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/r8ev5msj>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

114
DISSERTATIO
DE
FATO
VXORIS LOTI
NON MIRACVLOSO
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO
SERENISSIMO IVVENTVTIS PRINCIPE
DOMINO
WILHELMO HENRICO

DVCE SAXONIAE IVLIACI CLIVIAE
MONTIVM CETERA
SVPERIORVM CONSENSV
PRAESIDE
M. CHRISTOPHORO AVGVSTO
HEVMANNO

A. D. V IVNII MDCCCVI
PVBLICAE SVBIECTA DISPVTATIONI
A
FRANCISCO WILHELMO STENGLERO
HEIDELBERGENSI
S. THEOL. CVLT.
EDITIO SECVND A LOCVPLETIOR

I E N A E
APVD IO. PHIL. LINDNER
MDCCCVI

DISSERTATIO
DE
FATO
VXORIS LOTI

NON MIRACULOSO
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO
SERENISSIMO ELECTORIS PRINCIPIS
DOMINO

WILHELMO HENRICO

DAVE SAXONIAE IVLACI CIVIS (1/4) 58700

M. CHRISTOPH. AUGUSTO
HEVMANN



A. D. V. IVNII CIVIS
FABRICAE SUBIECTA ILLUSTRATIONI

FRANCISCO WILHELMO STENGELERO

REID. LIBRARIUS


2. THEOL. CVLT.

EDITIO SECUNDA AUCTORITATE

Y. E. V. N. E.

ATVD IO. PHIL. LINDNER

ELIGENDUM





LEMMATA

§. I. **P**hilologiae sacrae praestantia. Dissertationis octavo. II. Series & ordo huius syngrammatis. III. Vulgaris de fato uxoris Loti sententia. Circa eandem variorum sedulitas. Aliorum interpretamenta. Monumentum Bononiense huc tractum & expositum. Thesauri Inscriptio in statuam salis. Plures de eadem fabulae. Sulpitii Seueri simplicitas notatur. IV. Explicatur nostro sensu Moses uxoris Loti fatum recensens. Respicere saepe significat re-verti apud Hebraeos. An & apud Graecos & Latinos? uxor Loti non respexisse dicitur post se, sed post maritum. **מֵאַחֲרָיו** plus valet, quam **אַחֲרָיו**. **מֶלַח** hoc loco significat bitumen. **נָצִיב** non necessario significat statuam, sed cumulum tumulumue. Notatur Saubertus. Multi id consentiunt Hebraeorum, Christianorum. Cur non a Mose dictum **וְיָתֵר לִנְצִיב**? V. Probatur nostra mens ex contextu. Verborum Mosis paraphrasis. Explicatio dicti Lucae XVII, 32. Quo sensu angelus vetuerit, ne respicerent? VI. Resutatur sententia recepta. Minutii Felicis sophisma indicatur. Silentium huius, quod creditur, miraculi in omni scriptura sacra. Fatum uxoris Loti respondere debet praedictioni angeli, item aliis miraculis poenalibus. VII. Quae obi ci nobis possunt, reselluntur. Locus in libro Sapientiae an ab aliena manu? Nobis ille non officit. Auctori as veterum, vulgariter interpretantium praesentem locum, re-iicitur. Patrum plures errores in Scriptura S. interpretanda. Quanta sit patrum auctoritas? Nouitatis obiectio semper fraudulenta. Nostra sententia non prorsus noua. VIII. Iosephi testimonium la-befacta-

hesitatur. Urgetur denuo Mosis silentium. IX. Testes recentiores de statua salis hodie superstite, suspecti. Citantur testes contrarii, iidemque fide digniores. Fraus Anselmi monachi. X. An gentilibus statua salina innotuerit? Momentum huius quaestionis. De excidio Sodomae testes proferuntur ex gentilibus. Varro notatur. An Niobe personam gerat uxoris Loti? Philemon & Baucis in mythologia sunt Lotus eiusque coniux. Proserpina uxor Loti. Orpheus est Lotus. Eurydice uxor Loti. Lethe fluvius nomen accepit a Loto. Orphei fabula dilucidatur: Incestus Loti in mythologia deprehensus dupliciter. Cinyras est Lotus. Adonis & Ammon idem. Myrrha & Gomorrha. Troiana historia fabulose repraesentat excidium Sodomaec. XI. Historia parallela affertur, eaque recentior. XII. Vulgaris opinionis origo & progressus. Conclusio dissertationis.

D. G.



Vandoquidem ex prudente agri litterarii cultura non contemnendi in humanum genus redundant fructus, citraque eam multarum rerum praestantium notitia turpiter nobis carendum est: eadem tamen studia haud scio an in partem doctrinae nullam honestius impendantur, quam ad lucem libris diuinitus nobis concessis pro virili foenerandam. Certe, nisi forte sincerum capi non potest ex argumenti praestantia iudicium, qui diuinis scriptoribus suo restituendis splendori gnauiter incumbunt, tanto maiorem, quam reliqui, quorum omnis aetas in Comicis aliisque nimium profanis, ad quisquilias usque emendandis explicandisque, teritur, promereri mihi videntur laudem, quanto pluris aestimamus, qui aurum aliaque nobiliora metalla tractat, altero, cuius opificium manus pariter & nares coinquinat. Equidem non id mihi assumo, in prioribus nomen ut profitear meum, ab aliis quippe, quos tanquam

quam prae grandia veneror nomina, ipsa lubentia lubentius disciturus, quorum ignoratione in rebus tam arduis subinde haesitare me, comperio quotidie. Nec tamen hac meae tenuitatis conscientia temere abutendum existimo ad inertiae fiduciam: Sed magis incitari me sentio ad excolendum optimis litteris animum, quo & officio diuinitus iniuncto qualemcunque partem respondeam, aliisque pariter ac mihi met ipsi olim prodesse queam. Id ipsum candido lectori veniam praefatus dictum velim, cuius ad notitiam leuidentis hoc schediasma fore perueniet, in quo priuatam, nec tamen, quod deinceps deprehendi & infra ostendam, prorsus nouam de fato vxoris Loti meditationem elucubratum atque expositum iui. Priuatam inquam. nam cum adhibita paulisper intentione mentis meae, notam illam narrationunculam citra praeiudicium non ita pridem lectitarem, animo meo haud difficulter se insinuabat illa, quam hic sum propositurus, sententia. Inter haec cum amici cuiusdam explorarem iudicium, ille vero mihi referebat, eodem de argumento celeberrimum Helmstadiensium philologum, Hermannum Hardtium, paucis abhinc annis singularia quoque sua sensa publici fecisse iuris, eorumque mihi copiam ex Lipsiensium *Ephem. philol.* promte faciebat. Videbam protinus, doctissimum illum virum priori duntaxat illius historiae parte mecum sentire, etsi, postquam ipsas eius *Ephem. philol.* inspexi, perspicua prolixaque ipsum & illius rei probatione breuitatis studio supersedisse, cognoui. Nec fecius clarissimi Casparis Caluocerii Gloriam Mosis, *b* Hardtianis meditamentis oppositam, perillustravi, vel mea in opinione plurium collisione sensuum confirmandus, vel eam, si quid firmitus allatum esset, oblitteraturus emendaturusue. Qua de causa & aliorum ea de re monumenta peruoluī sedulo, vnde demum ea prodiit, quam tuo, quisquis es, nunc iterum obtutui sistimus, dissertatio.

A. 3.

Fert.

a. item Ephemeridum Vindicias primas & secundas. b. Dissertatione VI, quae huc spectat.

II. Fert autem animus, hac istam contexere compage, primo ut receptam opinionem cum variorum additamentis strictim recenseam, deinde mea sensa quam fieri potest, luculentissime expromam, eademque a nonnullis difficultatibus vindicem, immo & maiores in inueterata opinione breviter demonstrem, tum in elegantioris litteraturae tempe exspatiatus, an quid huius rei cognitum gentilibus fuerit, peruestigem, ac postremo, quod suadent viri sapientes opinionem aliquam concussuris, in originem ac incunabula sententiae vulgaris veluti perfunctorie inquiram. DE I gratia conatibus adspiret nostris, in suaeque gloriae augmentum vertat benignissime!

III. Vulgo igitur communiterque statuitur, *corpus huius mulieris in salis statuam, eamque durissimam, subito & vere fuisse mutatam, positamque in perpetuam posteritatis memoriam.* Cuius sententiae auctores nihil atinet allegare nominatim, cum communis sit ac publici quasi iuris. Immo nec eos placet commemorare prolixius, qui modum huius μεταμορφώσεως scrupulose indagare sustinuerunt, uti Daniel Sennerius *a*, Thomas Bartholinus *b*, Bernardus Connor *c*, aliique. Missos pariter facimus Io. Bodinum *d*, atque Franciscum Vatablum *e*, vel potius Robertum Stephanum, (hunc enim Biblicarum illarum annotationum auctorem asserit Petrus Daniel Huetius *f*,) qui per *statuam salis* capiunt statuam incorruptibilem, in sempiternum permanentem, perpetuumque futuram incredulitatis exemplum, cui interpretatoni aliquam partem adstipulatur Christianus Becmannus *g*: nec non Ioannem Clericum, cui praesente in loco vix ullam esse omissam vocem, quam non iniuste vexet *h*, demonstratum puto a clarissimo viro Hermanno Witfio

a tr. de cons. & diss. Chymic. cum Arist. & Galen. *b* de morb. Bibl. c. III. *c* Euang. Med. Artic. VII. *d* lib V de Rep. cap. ult. Conf. Calvinus, Mercerus, Lyra comm. ad b. l. *e* in annot. ad Genes. XIX. *f* lib. II de Interpret. p. 186, seqq. *g* in Orig. L. L. p. 577. *h* comment. in Genesin.

Witfio *a*. Illud vero monumentum quaeso perpendamus, quod Bononiae repertum tot doctorum fatigauit ingenia, alio aliam subinde pertentante coniecturam. Eius is est tenor:

Aelia Laelia Crispis
nec vir, nec mulier,
nec androgyna, nec puella, nec iuuenis,
nec anus, nec meretrix, nec pudica,
sed omnia,
sublata neque fame nec ferro neque veneno,
sed omnibus,
nec coelo, nec aquis, nec terris,
sed ubique iacer.

Lucius Agato Priscius
nec maritus, nec amator, nec necessarius,
neque moerens, neque gaudens, neque flens,
hanc nec molem, nec pyramidem, nec sepulcrum,
sed omnia,
scit & nescit, quid posuerit.

Hoc est sepulcrum intus cadauer non habens,
hoc est cadauer, sepulcrum extra non habens,
sed cadauer idem est & sepulcrum sibi.

Exstat illud in monumentis virorum illustrium Francofur-
ti ad Moenum anno saeculi decimi sexti *xxcv* editis *b*,
vnde descripsi. Apparet autem satis, auctorem huius epi-
taphii ad doctos impostores referendum esse, plurimum
quippe negotii facesitutum Criticis, quem in morem &
Virgilius, rogatus de sensu versus *cv* in ecloga tertia, re-
spondisse fertur, se hanc grammaticis crucem fixisse. (*c*) In-
ter illos autem nemo felicius collineasse videtur Richardo
Vito Basinstochio, qui illam inscriptionem de Niobe in
saxum conuersa explicuit. Vide, si otio tuo cupis abuti,
Francisci Mastrii dissertationem ad illud monumentum,

Vene-

a pecul. exercit. de uxore Loti. *b* tab. CXXV, id est, ultima.
c Vid. Petrus Grinitus lib. III de honesta disciplina cap. 8.

Venetis sex abhinc annis euulgatam *a*. Ultima eius verba ex Agathia deprompta sunt, ex quo sequens Niobes epitaphium adducit Cornelius a Lapide *b*:

ὁ τύμβος ὅτος εἶδ' ὃν ἔκ' ἔχει νεκρόν.

ὁ νεκρὸς ὅτος ἐντὸς αὐτῆς ἔχει τάφον.

ἀλλ' αὐτὸς αὐτῇ νεκρὸς ὅστις καὶ τὰ φος.

quos Iambos celebris idem scripturae interpres huncce reddit in modum:

Cadaver nec habet suum sepulcrum,

Sepulcrum nec habet suum cadaver,

Sepulcrum tamen & cadaver intus?

pro ultimo mallem:

Sed est simul cadaver & sepulcrum.

Non tamen magis haec in Nioben congruunt, licet sub ea fabula Loti coniugem latere, uti deinceps dicendi locus erit, nonnulli sibi persuaferunt, quam in Loti uxorem: quare nullus dubito, auctorem illius monumenti ad hanc plane alluisse. Enimvero ex vulgari opinione Loti vxor, in statuam quippe salis mutata, non amplius verus erat homo, adeoque *nec vir, nec mulier*, & quae sequuntur. Nihilominus tamen fuerat *omnia*, nam ipsa fuit & *mulier & anus*, & ex ipsa quoque procreari potuerunt *vir, androgyna, puella, iuuenis, meretrix, pudica*: adeoque cum ipsa horum sit omnium materia, merito dici potest *omnia* haec fuisse. Fatum eius porro indicatur, quod in uxorem Loti optime conuenit. Namque haec *nec fame, nec ferro, nec veneno* periit: quanquam non immerito dixeris, eam periisse hisce *omnibus*, utpote quae mortiferum hausit *venenum*, demisso coelitus sulphureo imbre, & *fame* fuit vexata rerum Sodomis relictarum, quarum desiderio respexit, respiciensque interiit. De *ferro* incertus adhuc sum animi, quid sentiam: nisi forte iniquum est, requirere, ut *omnia* historiae exactissime respondeant. Ceterum verissimum est,

a Vid. Acta Erud. Lips. 1706 mens. Febr. p. 88, seq. & 1684. mens. Jun. *b* in comm. ad Genes. XIX.

est, quod vxor Loti dicitur *nec coelo iacere, nec aquis, nec terris,* seorsim scilicet, & tamen *ubique*. Sita est enim quasi in aëre, adeoque & *coelo* iacere dici potest, nec minus, cum pluit, *aquis*, & simul, cui ianctitur, *terra*. Qui hoc monumentum posuit, DEVS fuit. Is rectissime *Lucius* appellatur, lux quippe ipsissima, *a* & pater luminum *b*, habitans in luce inaccessibili *c*. *Agatho* quoque summo vocatur iure: nemo est enim bonus praeter DEVM *d*. *Priscius* denique non inepte audit: est enim senex, vt qui maxime, & repraesentatur vocaturque senex, apud Danielelem vatem *e*. De Deo autem porro dici potest, quod vxoris Loti *nec maritus, nec amator, nec necessarius* fuerit, cuiusmodi homines alias defunctis monumenta curant fieri. Itaque nec mirum, quod *neque moeruisse, nec gansus esse, neque stensisse* perhibeatur. Hoc autem monumentum si quis *molem vel pyramidem vel sepulcrum* vocauerit, ab vsu loquendi fane recedet longissime. Haec tamen *omnia* non immerito fuisse videtur haec salis statua. *Moles* vtique fuit, & *pyramis* quoque dici potest, cum in aërem promineat pyramidum instar, nec non *sepulcrum*, quia hic continetur homo vitae exsors. DEVS vero scit profecto, quid posuerit: sed & *nescire* dici argute potest, sitne haec *moles*, an *pyramis*, an *sepulcrum*. Nam nihil horum statuere voluit praepotens Numen. Reliqua, quibus finitur epitaphium, tam sunt perspicua, tamque concinne dicuntur de Loti vxore, vt otiosum sit futurum negotium, si & in his exponendis morari velim. Apertius vero, nec minus argute atque eleganter Emanuel Thesaurus isthac inscriptione decorauit vulgo creditam salis statuam:

*Quam stupes muliebrem statuam,
tanto artificio fictam,
artifice caruit.*

B

Genita

a 1. Ioan. I, 5. *b* Iac. I, 17. *c* 1. Tim. VI, 16. *d* Luc. XVIII, 19. *e* cap. VII, v. 9, 13, 22.

DISSERTATIO DE FATO

Genita fuit & sine scalpello sculpta :

*& , quod impensius mirere ,
olim spirabilis & locuta.*

Breui : Femina fuit.

dicerem : Est ;

*nisi prodigium videretur ,
feminam esse & tacere.*

*Gorgonium vidisse illam putas ?
aut Ciconum bibisse fontem ?*

Erras : se ipsa finxit.

*Nam contra diuinum praescriptum
dum patriam spectat , se amisit.*

*Sola igitur mortalium
nec imaginis egens , nec sepulcri.
Ipsa suae stupiditatis imago
in semita haeret*

& in sua statua tumultatur.

*Licet igitur inter metamorphoses numerare
feminam ex vera fictam :*

immo nunc veram , quia fictam.

Nam quid in feminis videas , nisi fictum ?

Itaque mentiri solita seipsam mentitur.

Mortua vinam simulat , vel viua mortuam.

Magis mirere ,

*quod insulsa falsum migravit in lapidem ,
in sale mortua , quo viua carebat.*

Sic solent feminae :

Sapiunt , cum pereunt.

Ab fuge hunc salem , si sapis , viator.

Quamquam non negauerim , poetam hunc ingenio videri
abusum ad calumniam toti sexui , Diogenis & Euripidis
more rituque , impingendam. Sed vt institutum peraga-
mus , en verba R. Eliezeris in capitulis o : *Lambunt , inqui-*
entis , eam statuam boues , & iterum stans super pedes mane efflo-

re.

rescit. Hunc vero auctorem opinione potius, quam rei veritate & certitudine antiquum esse, iudicat in Primitiis suis Heidelbergensibus p Hottingerus. Neque tamen non assentitur illi (adeo similes habent labra lactucas) Benjamin Tudelensis, in Itinerario inquiring: *Constat adhuc cumulus ille, qui a gregibus aliquando lambendo imminutus denuo ad pristinam crescit molem.* Istum tamen hanc historiam ex R. Eliesere descripsisse, obseruatum est eruditis p: nec minus Morhofius q testatur, Beniaminem illum fabulosum omnibus haberi auctorem. Nec tamen defunt inter ecclesiae patres, qui Rabbinorum nugis vacuas prae buerunt aures. Irenaeus enim: *Statua salis, inquit, r semper manet, & per naturalia, ea, quae sunt hominis, ostendit. Et dum saepe auferuntur ab ea membra integra, perscuerat statua salis.* Nec minus Franciscus Quaresmius s memoriae prodidit, fuisse in partibus istis venerandos, quos ipse vocat, senes, qui se illam vidisse testati, ex eaque particulam vna die ablatam, altera die vidisse restitutam. Prudens tamen ille vir proxime ante, credulitatis se suspicione exoneraturus, dixerat: *An statua illa nostris temporibus exstet, mihi est incompertum: ego eam non vidi.* Sic Tertullianus vel Cyprianus t in suo de Sodomā carmine:

*Si quis mutilauerit aduena formam,
Protinus ex sese suggestu vulnera complet.
Dicitur & viuens alio iam corpore, sexus
Munificos solito dispungere sanguine menses.*

Quae profecto tam putida est fabula, vix vt Iudaeo condonanda videatur. Memini tamen geminam me legere in Sulpitii Seueri Historia sacra: t *Illud mirum, inquiring, quod locus ille, in quo postremum institerant diuina vestigia, cum*

B 2

in

p vid. Hottingerus in Smegm. orient. cap. VIII. q lib. I polybist. litt. cap. VI p. 48. r lib. IV cap. 51. s in Eucid. terrae sanctae lib. VI cap. 14 p. 763. Conf. Leonb. Rauchwolf, in Itinerario suo, quod exstat in collectione Itinerariorum Brancosfurtana Tomo I pag. 642. t Vid. Andr. Riuetus Critico sacro lib. II cap. 15 p. 234, seq.

in coelum Dominus nube sublatus est, continuari pavimento cum reliqua stratorum parte non potuit. Siquidem (ignoscas, Lector, copiae auctoris) quaecunque applicabantur, insolens humana suscipere terra respueret, excussis in ora apponentium saepe marmoribus. Quin etiam calcati D E O pulveris adeo perenne documentum est, ut vestigia impressa cernantur. Et cum quotidie confluentium fides certatim Domino calcata diripiat, damnum tamen arena non sentit: & eadem adhuc sui speciem, velut impressu signata vestigiis, terra custodit. Maiori, id est ea, quae poetis debetur, venia Ovidius u fabulatur:

*Nunc quoque in Euboico scopulus brevis eminet alto
Gurgite, & humanae servat vestigia formae:*

Quem quasi sensurum nautae calcare verentur.

Et alibi x de Niobe, prae dolore in saxum conuersa:

Fixa cacumine montis

Liquitur, & lacrymis etiam nunc marmora manant.

IV. Nos quo genuinam sacri historici mentem feliciter assequamur, age, verba ipsius sigillatim excutiamus. Sunt autem ea, quae sequuntur: **וַיִּשְׁמַע יְהוָה בְּקוֹל נִיבֵה**. Particula וַיִּשְׁמַע ut variis gaudet significatibus, quos praeter Noldium diligenter annotavit Celeberrimus noster DANZIVS, patronus ac praeceptor venerandus, ita parum refert, utrum hic loci vim illi meram connectendi assignes, an per aduersatiuam autem, eam reddere malis. Sed verbum ab illa vocula affectum iam paulo accuratius est expendendum, de quo illud minime debet praetermitti, quod verti possit & respexit & respexerat. Posterius enim cur potius videatur hic amplexandum, ex sequentibus elucebit clarius. Nunc efficere conabimur, ut constet, illud respexerat idem valere posse ac redierat eo, unde digressa erat. Primo igitur reuocemus nobis in animum, metonymiam antecedentis pro consequente, uti aliis in linguis, ita apud Hebraeos haud sane infrequen-

tem

1 lib. II p. 142 edit. Drusii. u Metam. lib. IX fab. III p. 306.

x lib. VI metam. fab. III.

tem esse : qua de re adi sis Glassum in Philologia. Pro-
pius vero vt ad nostrum thema accedamus, de *respiciendi*
verbo plura vno scripturae sacrae loca suppetunt, quae
breuiter nobis erunt recensenda. Speciatim פנה, quod
proprie adspiciendi respiciendiue notionem sustinet, de-
signat alicubi *progressus*, alicubi *regressus est*, *reuertit*. Clarus est,
quem in Cantici offendimus quinto capite, locus. Quod
enim ibi י dicitur : אנה פנה רורך *quo spectauit di-*
lectus tuus ? more Asiatici styli eodem pollet sensu, quo
verba proxime praemissa : אנה הלך רורך *quo abiit di-*
lectus tuus ? Sed nec deficit alter. Ea Deuteronomii XVI
a ista legis dictamina : *Et coques & comedes in loco, quem*
elegerit Dominus Deus tuus, ופנית בבקר ויהלכת לאחריך
& vertes te mane (id est, & reuerteris domum tuam, vt sta-
tim ipso in textu exponitur, cum additum legimus :) *&*
ibis in tentoria tua. Pariter Ieremias Capite XLIX b isthunc
vaticinatur in modum : *Debilitata est Damascus, הפנתה לנוס*
vertit se ad fugiendum, id est, retulit gradum, refugiens in
securum locum. Quid ? quod eo ipso in loco, vnde ar-
gumentum nostrae dissertationis desumimus, idem obser-
uare licet. Cum enim duo illi angeli, quos summus omni-
um rerum rector secum ad Abrahamum adduxerat, ab hoc
discederent, viamque suam, vnde ad Abrahamum di-
uerterant, repeterent, his describitur c ea res verbis :
ויפנו משם האנשים ויהלכו כדמה *& respexerunt inde* (hoc
est, reuerterunt inde in viam suam) *viri, & iuere Sodomam.*
Lutherus : und die Männer wandten ihr Angesicht/ und giengen
gen Sodom. Porro in Exodo d de Mose legimus :
ויפן וירר משה מן ההר *Et respexit* (videlicet reuersus est)
& descendit Moses de monte. In Numeris e : מחר פנו וסעו לכם
המדרך *cras adspicite*, id est, viam vestram prosequimini

B 3

ac

γ ρ. 17. a ρ. 8. b ρ. 24. c Genes. XLIX, 22. d cap. XXXII
ρ. 15. e XLV, 25.

ac pergite vestrum iter, & proficiscimini in desertum. Clarissime quoque Iosua *f* ad Rubenitas & socios, qui Iordanem transierant cum reliquis ad occupandam Cananaeorum regionem, peractis omnibus, ait: ועתה פנו ולכו *Et nunc respicite* (id est, vt Santes Pagninus recte reddidit, reuertimini) & itote ad tentoria vestra, ad terram possessionis vestrae. Denique in Deuteronomio *g*: פנה אל-אלהים אחרים *adspexit ad Deos alienos*: quod alias in scriptura diuina dicitur, iuit ad idola, iisdemque diuinum praestitit cultum. Nec minus per פנה aliquando consequens denotatur respectationis, vt Geneseos XXIX, 32: quod & de שעה verum est, ceu patet ex eiusdem libri capite IV, 5 & Iobi XIV, 6. Id quod & Lutherus praeclare animaduertit commentario ad Genesin *b*. Sentio quidem, nonnullos hoc loco mihi aurem vellicaturos exhortaturosque, vt, si omnino metonymiam hic quaesiturus sim, saltem ultra non extendam, quam quod femellae animum subierit perditarum rerum desiderium. Certe quos cupido alicuius boni vehemens incescit, vix prohibere oculos possunt, quo minus in id saepius retorqueantur. Et graphice profecto fugam Sexti Pompeii describit Florus *i*: *Modo CCL nauium dominus, inquit, cum sex septemue fugiebat, exstincto praetariae nauis lumine, annulis in mare abiectis, pauens atque respectans.* Quo sermonis genere & AEschinas apud Gomicum vsus, ad alterum inquit *k*: *quid respectas? nihil periculi est.* Verum ego dum vnum isti verbo sensum assero, reliquos neutiquam abiudicatos volo, sed contentus commonstrasse, sensum a me propositum vocabulo *respi-ciendi* conuenire posse, deinceps vberius ostendam, eundem non posse non hic habere locum. Id antequam moliar, exspatiabimur in Graecam Latinamque linguam, exploraturi, annon eandem illae vim *respi-ciendi* notioni attribuerint,

f XXII, 4. *g* XXXI, 18. *b* fol. 61, b. *i* Hist. Rom. lib. IV
c. 8. *k* Terent. Adelph. act. II sc. 1 v. 3.

buerint. Certe licet ex profanis auctoribus non iam occurrat similis locus, Lucas tamen, elegantissimi styli auctor, capite IX / historiae Christi satis luculenter loquitur cum Hebraeis: οὐδεὶς ἐπιστὰς τὴν χεῖρα αὐτοῦ ἐπ' ἄροτρον, καὶ βλέπων εἰς τὰ ὀπίσω, εὐθετὸς ἐστὶν εἰς τὴν βασιλείαν τοῦ Θεοῦ. Hic sane τὸ βλέπειν εἰς τὰ ὀπίσω, respicere non significat proprie & simpliciter, retorquere caput oculosque, nec solum recordari & in animum rursus inducere, sed quod consequitur, a proposito recedere, & rursus diuertere ad ea, quibus renuntiaueras. Fallos? an Lucam reipsa exponit Ioannes, historiae euangelicae capite sexto m scribens: Ἐκ τούτων πολλοὶ ἀπῆλθον τῶν μαθητῶν αὐτοῦ εἰς τὰ ὀπίσω, καὶ οὐκ ἔτι μετ' αὐτοῦ περιπατοῦν. In Romanorum vero monumentis plane mihi videor eandem deprehendisse loquendi formulam. Apud Ouidium enim Heroidum epistola I n ita Penelope absenti acclamat Vlyssi:

Respice Laerten, ut iam sua lumina condas:

eademque semetipsam paulo post o ita interpretatur:

Protinus ut redeas,

Nec forte ab simile est illud eiusdem p, ad perfidum amicum scribentis:

Vt neque respiceres, neque solarere iacentem;

Dure, nec exsequias prosequerere meas.

Non longe abit illud Virgilii: q

Libertas, quae fera, tamen respexit inertem,

Respexit tamen, & longo post tempore venit.

Quamquam haec non admodum virgeo, quippe diuerso paululum sensu haud difficulter exponenda, facileque me patior induci, ut credam, illud loquendi genus, sicut alia complura, Hebraeis ita proprium esse, vix ut aliarum in linguis gentium consimile prorsus reperiatur. Illud vero ne quis obiciat, de verbo וָשַׁב me non produxisse locum, ubi significet reuertit, primum respondeo, nec idesse

l v. 62. m v. 66. n v. 113. o v. 116. p Trist. I, 7, 13.

q Eclog. I v. 28, 30.

se opus. Cum enim eiusdem plane notionis sit, cuius פנה, ceu liquet ex 1 Sam. XXIV, & 2 Sam. I, quae loca paulo post proferentur, item ex Psalmo XXXIII, 13, nemo dubitare poterit, quin, si hoc eo sensu occurrat, illud nihilo secius ita adhiberi possit. Deinde quot vocabula in scriptura S. semel occurrunt omnino! quot semel tantum vno adhibentur sensu! id quod ex interpretandi regulis deinceps est diiudicandum. Neque vero חבטו ubique in sacris litteris proprio *adspiciendi* vel *respiciendi* sensu gaudet, sed eandem fert figuram in Psalmo LXXIV, ubi commate 10 haecce leguntur: חבטו לברית *respice ad pactum*, id est, memor esto pacti, & quae promisti, praesta. Sic & Psalmo XXIV, 10 legitur: חבטו פני משיח *adspice faciem uncti tui*, siue vt Cocceius exposuit in suo Lexico, in Christo *miserere* nostri. Conferatur Psal. XXXIV, 6; Esa. XXII, 11; 2 Sam. IX, 8. Addantur Iac. Gassettii Commentarii linguae Hebraicae p. 492. Sequitur in historiola nostra מאחריו, quod perperam vulgatus interpres, eumque secuti alii reddidere *post se*, cum sit *post ipsum*, Lotum videlicet: quod ipsum & Io. Druſius, & Io. Saubertus, & Daniel Fesselius, & alii, dudum monuere. Sed nec illud *post illum* vim Hebraicae dictionis exhaurit. Est enim secundum verba ipsissima, *a post illum*, quasi dicas, *abeundo a tergo illius*. Et vel haec particula docere possit, verbum modo dictum non posse sustinere *respiciendi* notionem. Quis enim esset sensus, aut quae lingua hanc fert loquendi formulam: *respexit post comitem suum*? Vnde CL. Hardtius 1: Sic ergo se subduxit, ne amplius maritum sequeretur. Certe alio sensu dicitur primo Samuelis 2: חבטו שאול אחרי *respexit Saul post se*

1 not. ad Sulp. Sen. Hist. S. lib. 1 p. 50. 2 dissert. de statua salis in Palaestra Theol. cap. II §. 2 p. 242. 3 Aduers. sacr. lib. VII cap. IV §. 13 p. 170. 4 Ephem. philol. p. 69. 5 cap. XXIV, 9.

se Dauidem versus: quod & de פנה occurrit posteriore libro: x ויפן אחריו ויראני & respexit post se & vidit me. Nec me, quod aiunt, in scirpo nodum quaerere, constare potest ex Numeris y מאחריו כי תשבן cum auersi fueritis ab ipso, ita vte eo derelicto, aliis diis turpia praestetis ministeria. Addatur omnino Daniel Fesselius in Aduersariis sacris. z Quare nostrum ותבט מאחריו probe conuenit cum ויפן מן-ההר & ויפנו משם, quae loca paulo ante ex Genesi & Exodo adduximus. Pergamus vero ad duo postrema, quae crucem interpretibus fixerunt, verba: נציב מלח. Vbi de מלח obseruamus, id non solum salem significare, verum etiam bitumen. Neque id sine ratione. Fatentur namque peregrinatores, lacum illum bituminosum esse eundem falsissimum. Posteriori sensu in Scriptura S. vsurpatur, quoties memoratur mare salis, quod hinc gentilibus scriptoribus dicitur lacus asphaltites. Asphaltites nihil praeter bitumen gignit, unde & nomen, inquit Plinius. Vnde Io. Lightfootus in chorographia terrae Israeliticae testatur a, quod mare mortuum sive Sodomiticum a Iudaicis scriptoribus vbique vocetur ים המלח, quod (inquit) non iam proprie hic mare salsum interpreteris, quam mare bituminosum. Quod idem annotauit CL. Hardtius in suis Ephemeridibus. b Sodomam autem sulphure & מלח fuisse obsitam, extra dubitationis istum est, omnem eximente scrupulum Deuteronomio, cap. XXIX v. 23, & Zephania vate cap. II v. 9, vbi historia excisae Sodomaee de nouo commemoratur. Wilh. Clarkius & Ge. Casp. Kirchmaierus in Halurgia Academica Curiosa, (quae in appendice exstat Ephemeridum Naturae Curiosorum Anno octauo Decuriae secundae) §. VI, in allegatis scripturae locis per מלח non male capere videntur tempestatem horridam sulphureo-nitrosam. De נציב vero dignum est observatu,

C

quod,

x 2 Sam. I, 7. y XXXII, 15. Conf. 2 Sam. II, 21. z lib. VII cap. 4 §. 12 & seqq. a cap. V, b p. 72. Conf. Aug. Pfeifferi Antiq. Hebr. cap. XV §. 2 p. 122.

quod, quotiescunque in S. Scriptura occurrit, alium ferat sensum, ac praesenti Geneseos loco. Ex quo consequitur, temerarium videri, si hic per *statuam* citra dubitationem exponere id velimus, de cuius significatu ex aliis demum locis promendum est iudicium. Vsurpatur autem illud נָצִיב saepiuscule pro multitudine hominum, id est, pro militari praesidio: quae ipsa significatio non incommode a *cumulo* deducitur, cum & alias haud raro in scriptura sacra obueniat, quod 1 Regum IV, 20 legimus: רַבִּים כַּחַר אֲשֶׁר — עַל — הַיָּם לָרֶב. *multi sicut arena maris.* Quis vero dubitet, cum Propertio *c* dicere *cumulum* *arenae*, aut cum Marone *d* *cumulum* *aquae*? Interdum & נָצִיב τὸ significat praesidem, quo pacto consonum est נָצִיב τῶ, quod eiusdem est sensus 1 Reg. XXII, 48 & Ruth. II, 5 & 6: nisi quis dicere malit, praesidi tanquam capiti tribui appellationem subiectorum suorum per figuram quandam. Quae cum ita sese habeant, sponte concidit argumentum, quod Saubertus isto ex vocabulo desumptum vult. Nam נָצִיב, ut dixi, ne semel quidem amplius in omni scriptura significat *statuam*, sed *statua* exprimi assolet per עֲמֹד, item per מַצֵּבָה, quod ipsum tamen aliquando & *cumulum* siue *tumulum* denotat. Videre est Genesin capite XXXI, ubi quod commate 45 dicitur מַצֵּבָה, id sequenti 46 exprimitur per גִּל *tumulum*. Sic idem Genes. XXXV, 20 repraesentat *monumentum sepulchrale*, quod tumulo similis profecto est, quam *statuae*. Immo Celeb. Hottingero in Cippis Hebraicis *e* observatum est, Hebraeos isthoc nomine ordinarie exprimere ac designare sepulchralia monumenta. Quare nos minime veremur per נָצִיב intelligere *cumulum* siue *tumulum*, maxime cum suffragentur haec nonnulli magistri, Abenesra, Abarbanel & Levi Gersonides, qui per *cumulum* נָצִיב exposuere. Immo plerosque Iudaeos נָצִיב exponere *cumulum*, *aceruum*, *agge-*

rem, *e* lib. III eleg. 14 v. 29. *d* Aeneid. I, 109 & II, 498. *e* pag.

rem, annotavit in Dictionario Munsterus, & Saubertus in allegata dissertatione. *f* Sed & inter Christianos adstipulantur nobis Vatablus atque Edmundus Castellus, ille in versione Geneseos, hic in Lexico suo Heptaglotto, ubi & aliis ex linguis, eiusdem radices deriuata producit, a nostro proposito minime abludentia. *g* Quid? quod magni ille nominis philologus, Augustus Pfeifferus, vulgaris alioqui sententiae patronus, meminit *a*, apud Samaritanos eam radicem significare *sedere*, quod non aeque in statuum conuenit, ut in tamulum. Nec illud hic omitti debet, quod ipsum *vebum*, cui נָצִיב suos debet natales, sensu nobis congruo adhibeatur in Exodo. Deprehendimus enim capite eius quintodecimo *b* haec verba: *Et in spiritu nasi tui coaceruatae sunt aquae, נָצִיבו steterunt, sicut aceruus, fluonta, & coagulati sunt gurgites in corde maris.* Postremo de וְהָיָה mirum est, cur non dictum sit, מָלַח לְנָצִיב, prout alias Hebraeis solenne est *c*. Certe cum ex Hebraeorum sententia ingentes a quavis litterula dependeant montes, hoc quoque neutiquam de nihilo existimamus esse. Quin potius, cum Exodi VIII, 13 legamus: כָּל-עֶפֶר הָאָרֶץ omnis pulvis terrae erat pediculi, id est, cumulus & colluies pediculorum; non male, credo, coniciamus, positum fore לְנָצִיב, si significare deberet *statuam*, iam vero, cum לֵי sit omissum, recte ut in loco citato, ita & hic per *cumulum* exponi.

V. Reliquum est, ut alia ex ipso textu nostrae sententiae adminicula circumspiciamus ac praesidia. Neque est, cur hic causae nostrae timeamus, quae ipso Mose volente multo redditur dilucidior. Is enim, cum relationem de fato vxoris Loti immisceat ipsorum Sodomensium exitio,

C 2

quidni

f §. 12 p. 248. *g* Addatur Saubertus loc. cit. §. 8 & 9 p. 246; Alphonsus Tostatus, episcopus Abulensis, comment. ad Genes. XIX. *a* in Dubiis vex. ad Gen. XIX. *b* v. 8. *c* vide Exodi IV, 4; VII, 17 & 20. Conf. Matth. Wasmuthi Gramm. Hebr. p. 294.

quidni credatur in hunc sensum loqui voluisse: *Tunc, postquam Lotus in oppidum Zoar euasisset, supremi numinis nutu ac iussu sulphurea & igniuoma pluuia, coelitus delapsa, illam regionem subuertit, quanta quanta erat. Inter haec ipsa Loti coniux, quae improuide ab illo recedens penates suos repetitum iuerat, iisdem fuit miseriis inuoluta, ac sulphure bitumineque obruta & quasi sepulta periit.* Quaeso enim, si vulgari debeat sententiae locus concedi, eccur Moses vxoris Loti non meminit inter narrandum profectiorem Loti Zoarem versus? cur vero tunc demum meminit, cum excidium flagitiosissimarum urbium iam enarrasset? Aut eximie fallor, aut hic nodus est, quem soluere communis opinionis ὁπρὸς τὸν αἰσ difficultissimum fuerit. Praeterea omnis historia cohaeret optime, si quod statuimus, ratum habeatur ac firmum. Etenim paulo ante commemorauerat Moses, Lotum Sodomis reliquisse generos, nec dubitari potest, quin & alia pretiosarum cararumque rerum per festinationem reliquerit: immo ex verbis angeli, Lotum iubentis assumere filias *בנותיו* quae praesto erant, suspicor, plures Loto fuisse filias, cum generis fortasse iam coniunctas matrimonio. Igitur tenero excitata affectu muliercula, posteaquam discessisset angelus, (v. 16) rata, tempus superesse excidio, neque se illico perituram, quin potius redituram se ad suos improba spe freta, reuerti statuit, partim suos ut generos exitialibus eriperet flammis, partim ut suarum relictarum rerum non nihil reciperet. Interea Lotus vna cum filiarum pari Zoarem affecutus euasit incolumis: cum ipsa poenam temeritatis ac stultitiae suae luens, siue inter vias, ut nobis ad credendum proclive maxime videtur, siue cum iam Sodomam peruenisset, aequae ut reliqui istius regionis homines, sale persusa & sulphure expirauit. Id quod & Aben Esra statuit factum esse & eum secutus Grotius. *Quam sententiam, inquit referens eam Pfeifferus, (a) nemini inuidebimus.* Accedit his, quae differuimus, maximum pondus & momentum ex verbis Domini ac seruatoris nostri, quae Lucas consignauit libro primo sacrae

suae

suae historiae, ejusdemque decimo septimo capite. Cum enim ille generis humani amor suos mouisset, ne ingruente Hierosolymorum excidio moras neccerent, nec quisquam (ita enim fatur) ex agro ad res suas seruandas domum rediret, addit grauiter : *μνημονεύετε τῆς γυναίκος Δώτ, ἥ ἦν ἐν τῷ ἀγρῷ 32.* Recordamini, inquit, uxoris Loti, & cauti esse discite eius exemplo, quae cum res suas redisset seruandi gratia, non minus, quam ceteri omnes, miserrimam interiit in modum. Haec enim mens Christi e verborum serie colligitur, prae qua ἀποστολὴν δὶνυσσα videntur dicta Io. Clerici, qui in Harmonia Evangelica (b) ita hunc locum παραφράζει : *Memores estote mortis uxoris Loti, quae in Sodomensi agro, desiderio urbis, diutius commorata, subito exitio periit.* Vnicus restat scrupulus, quem ipsa textus verba videntur iniicere. Cum enim statuamus, Loti coniugem reuertisse, idque e respiciendi vocabulo elicere studuerimus, non apparet, qua ratione angelus idem velit, cum prohibet, (v. 17) *ne quis respiciat.* Verum praeterquam quod iam dixi, plus ponderis inesse in *מחזור* quam in *אחורי*, quorum hoc ab angelo adhibetur, duplex se offert elabendi rima. Primum enim angelus potuit interdixisse omnem moram, vt ne respicerent quidem prae festinatione : prout apud Suetonium in Tiberio legimus a : *prohibitis per militem viatoribus respicere vsquam vel consistere.* Pari modo vates Ascræus industriam ruricolam describit : (b) *μηκέτι παλαιῶν μέθ' ὁμῆλικας, ἀλλ' ὅτι ἐργῷ θυμὸν ἔχων,* Non amplius respectans ad coetaneos, sed in opere animum habens. Adde sis Erasmi Chiliades in adagio : *timidior prospiciente.* Vnde & paulo inferius angelus priora verba : *Saluti tuae consule nec respice,* hisce commutauit : *Festina tuamque salutem cura.* Qui sensus si placeat, dicere licet, uxorem Loti temerario ac poenitendo ausu migrasse isthanc legem, nec respexisse solum & moras nexuisse, verum etiam plane viam retexuisse ad deuotos internecioni homines. Deinde nil, opinor, prohibet, quo minus & hoc sensu angeli dicta capias : *Cave respicias, id est, reuertaris illuc, vnde DEO propitio vos abduxi, im-*

mo (ita enim per gradationem pergere videri possit angelus) ne gradum quidem siste in omni hac regione: fac in montem te recipias, omniique sollicitudine liber agas. Prior tamen sensus magis videtur congruus.

VI. Nunc etiam proferenda quaedam sunt, quae vulgarem nobis opinionem reddidere suspectam, & quae quemvis, cui minus arriserit expositio nostra, eo saltem perducere idonea sunt, illius ut imbecillitatem clarissime deprehendat. Neque vero ad eam refellendam illo pium putamus uti argumento, quod simili fere in causa declamatorio potius, quam philosophico more adhibet Minutius Felix, cum aduersus gentilium insulas historiolas ita sermocinantem inducit Octavianum *a*: *Quid illas aniles fabulas, de hominibus aues, de feris homines, & de hominibus arbores atque flores? quae si essent facta, fierent: quia fieri non possunt, ideo nec facta sunt.* Enimuero in designando rerum naturalium ordine iis argutiis nonnihil ponderis videturtribuendum, nec immerito vir doctissimus, Io. Clericus, veterum quorundam, in quibus Lucretius humanum genus ex terra plantarum instar progeneratum existimantium, opinionem configens: *Si hoc, inquit b, unquam factum fuisset, & hodie alicubi fieret: nulla enim ratio afferri potest, qua olim id fieri potuisse, nunc non posse, constet.* Vtlerius si ratiocinationis istius prorogauerimus limites, vereor, ne armis nos exuamus, miraculorum veritatem contra pessima quaeque & vanissima capita propugnandi. Id quod praeter alios iamdudum sagaci mente praesenserunt Marsilius Ficinus Hugoque Grotius, quorum ille in decimo capite libri sui de religione Christiana, hic primo libro de eiusdem veritate *c*, sophismatis huius neruum valida ingenii acie incidunt. Quare nemo, cui cor sapit, calculum denegabit Bernardo Connoro, qui solerter comprobatur in sua Medicina mystica *d*, suspensa naturae lege, & agente suprema Numinis potestate, natium corporum statum mille modis variari, atque adeo & corpus humanum in

a p. m. 97. *b* Pneumatol. sect. III cap. 1 §. 3 p. 96 Tomo II operum philosophicorum. *c* §. 18. *d* artic. VII p. 49 seqq.

falem transmutari posse. Verum quemadmodum non tam philosophorum, quam experientiae scito, non omnia quae fieri possunt, illico & fiunt: ita probe circumspiciendum est utique de facti certitudine, si quid fieri posse utrinque est consensum. Alias enim nec excesserit diuinam praepotentiam, ex lapidibus spirantes subito producere homines, ut loquamur cum maximo post DEI filium propheta Ioanne: nihilo tamen secius fabulosissimam redolet fabulam, quod de Deucalione credula retulit antiquitas. Sed ut propositum nostrum nunc peragamus, qui in veram salis statuam Loti uxorem transmutatam esse sibi aliisque persuadent, non vno redargui possunt argumento. Primum enim, cum ita miraculum foret maximum & eiusmodi, quale non aliud in omni historia sacra, nulla rei tanquam miraculosae a conditore sacrorum annalium Mose sit mentio. Adeo simpliciter, adeo breuiter rem relatam legimus, breuius ut simpliciusue non possit. Et quod alias sacris scriptoribus solenne est, ut et si paucis rem animaduersione dignissimam delibant, saltem praefixa particula ECCE digitum in eam veluti intendant: ne id quidem isthoc loco apparet. Accedit, quod nec alias in omni scriptura huius rei renouetur memoria, cum tamen diuina miracula saepissime legamus a Mose praedicata, Dauide, prophetis aliisque tam antiqua, quam noui federis scriptoribus: praetereaque plurima existent loca parallela de excidio Sodomensi (a), indicio perquam euidenti, nihil tum contigisse, quod peculiari ratione fuerit a Deo perpetratum. Neque Siacides, diligentissimus vir in annotandis eximiiis Dei operibus, vel verbo id miraculum (scilicet) attigit. Quam vero praeclara se occasio praebebat Petro apostolo, cum in altera suarum epistolarum poenitentibus in immorigeros, beneficiaque in probos ac fideles diuinitus collata inter se contenderet, Loti coniugem

e Matih. III, 9. a Deut. XXIX, 23; Zeph. II, 9; Iesa. XIII, 19; Ierem. XX, 10; L, 40; Thren. IV, 6; Ezech. XVI, 49; Hos. XI, 8; Amos. IV, 11; Luc. XVII, 29; 2. Pet. II, 6; Iuda v. 7.

iugem in exemplum singulare ac prorsus extraordinarium adducendi? Scilicet vero consentaneum est, eum, cum poenis improborum maxime insignibus citandis operam daret, & ipsum Sodomorum excidium meminisset, forte rei illius admiratu prae aliis dignae oblitum esse. Et qui factum est, ut Moses Sodomorum iniecta alio loco *b* mentione, id, quod maximum erat, negligeret? ut ipse Servator, nominatim Loti coniugem producus *c* tantum praeteriret tamque inauditum miraculum? Denique Loti vxor vtique eam luit poenam, quam praedixerat angelus. Nihil enim causae apparet, cur extraordinariam statuamus, vbi certae poenae fit mentio. Atqui praedixit ille, nisi festinarent, eos Sodomorum exitio inuolutum iri, eodemque, quo Sodomenses, perituros esse modo. Cum autem Sodomenses statuas salis esse factos nemo dixerit, sequitur, ut aequae ac illi ex igni uomo imbre perierit imprudens illa femina. Plura possem producere, ni taedium subterfugendi animo, cauto lectori integrum esse mallet, ea sparsim ex tota hac dissertatione colligere. Qua eadem de causa aliorum poenaliū, ut sic loquar, Dei miraculorum comparisonem omitto, quam Theologis relinquo in solidum. Id solum addo, vix videri diuinæ iustitiae sapientiaeque conueniens, tantillum ob delictum imbecillem femellam tam atroci persequi poena, perpetuumque illius & peccati & poenae statuere monumentum, cum id nunquam contigerit aliis, longe magis meritis, ne Corae quidem, Dathanique & Abiramō. Profecto DEVS, ens quippe generosissimum, magis quaerit gloriam ex bene, quam malefactis, potiusque gratiae suae, quam irae monumenta statuere gestit.

VII. Verum & ea nunc, quae opponi possent interpretationi nostrae, breuiter animus est perstringere ac diluere. Primum idemque potissimum est, quod auctor libri sapientiae a receptae sententiae stat partibus, decimo capite *a* ita differens: Ἦς ἐστὶ μαρτύριον τῆς πονηρίας καὶ πνιζομένη καὶ ἐξήκει χεῖρ αὐτῆς, καὶ ἀτελείσιν ὥρῃς καρποφοροῦντα φυτὰ, ἀπιστίας ψυχῆς μνη-

μῆσιν

μείον ἰσηκῆα σήλη ἀλός. Quis huiusce sit libelli, sapientiae profecto floribus exuberantis, verus auctor, nos non iam disputamus, sed cupidum cognoscendi lectorem ablegamus ad summe reuerendi nostri BUDDEI Introductionem ad historiam philosophiae Hebraeorum, vbi larga manu apponuntur, quae ad palatum cuiusuis esse possunt *b*: de eiusdem vero auctoritate proluxa est tractatio Io. Gerhardi (at quanti viri!) in Exegeſi Locorum Theologicorum *c*. Ceterum vt difficultate nos hac expediamus, prope est, vt credam, verba illa: ἀπιστίας ψυχῆς μνημείον ἰσηκῆα σήλη ἀλός, esse glossema, vel e margine in textum admissum, vel, prout priora a nato Christo saecula talium emblemata in aliis etiam libris oppido fertilia erant, ab audaci quopiam homine intrusum. Non temeritate huc feror aut inconsulto theſeos defendendae studio: sed praeter morem illorum, quae indicaui, temporum, ipsa verborum συνάφεια meum pertrahit illuc animum. Perpende, quaeso, candide lector, quam frigide isto loco statuae salis fiat mentio, quam male haec narratiuncula cum priore posteriorique connexa sit: conſeras, oro, locum παράλληλον Petri, epistola posteriore, cap. II, v. 6: & satis mihi causae esse apparebit, cur ita sentire velim. Nec tamen dum ita sentio prorsus, sed maiori εὐστοχίᾳ praeditorum arbitrio id committo. Ceterum licet recte omnia se habeant, non dubitamus hanc auctoris, quisquis est, narrationem inter apocrypha connumerare: maxime cum appareat, eum sua desumſisse ex τῶν οὐκ versione, vbi itidem σήλη ἀλός deprehenditur. Quod si cui nodum hic ſecare, non soluere videar, eum quaeso, vt cum his comparet, quae infra de vulgatae ſententiae origine commemorabuntur. Illud tamen memoratu non indignum, quod Philo, qui libri istius auctor creditur, Alexandriae vixerit in Aegypto, vnde & ipsi cognomentum. Ipse igitur cum nec Hierosolyma fortasse viderit, nec mare mortuum, ex leui id rumusculo scripsit, siquidem omnino scripsit. Nihil igitur

D

quic.

b, ad §. XLIX notis pag. 19, seqq. *c* Add. Huetii Demonstr. En. Prop. IV cap. 14. p. 417, seqq.

quicquam ex citato loco colligi potest amplius, quam dudum esse, ex quo historiola illa inter Iudaeos inualuerit. Neque vero antiquitas statuen-ium veritati vnquam debet esse fraudi, vel auctoritas eorum: quanquam hanc nobis secundo loco instar glaucomatis oblici intelligo. Hoc quippe telum retundo cum exemplorum clypeo, tum testimoni-orum in contrariam abeuntium partem. Quotus enim quisque, vt prius propositum exsequar, patrum ecclesiasti-orum, in Geneseos explicatione per filios DEI, quorum inibi *a* fit mentio, non cepit angelos? quo in sane Iudaeos sunt secuti, qui pariter & ante eos sentiebant, angelos de coelo excidisse, cumque filiabus Cain contraxisse matrimo-nia *b*. Hodie tamen nullum habetur piaculum, ineptam bonorum ceteroquin virorum sententiam & repudiare & re-fellere. Et an non doctorum plerisque omnibus sententia quondam federat, Iudaeorum vestes & calceamenta in de-fertis locis vna cum corporibus creuisse? id quod tamen ho-die nemini emunctioris naris persuaseris, posteaquam Isaa-cus Peyrerius, histrionici ille alias cerebri homuncio, Io. Conradus Danhauerus, Antonius Bynaeus, Hermannus Hardtius, alique verum illius historiae sensum solerter in-uestigarunt. Etiam plerique patrum omnes aliter illum interpretati sunt apologum, quem Christi ex ore exceptum posteritati piae conseruauit Matthaeus capite XX, *c* quam quidem hodiernis Theologis videtur. Neque tamen hi si-bi ducunt religioni, ab illis desciscere, quandoque splen-dor veritatis tenuem humanae auctoritatis lucem praestrin-git. Vnum instar omnium nomino Io. Georgium Dor-scheum, praedictum Theologum, cuius titulo Denarii ve-spertini, singularis exstat dissertatio. Horum igitur insiste-re vestigiis, quidni & nobis citra crimen sit & obrectatio-nem? Neque tamen idcirco (liceat enim aliorum *d* nunc vti verbis) facile adspernamur aliorum, praesertim vete-
ru^m,

a Genes. VI, 2. *b* vid. Sauberti Diss. de adoratione angelorum in
R. laest. Theol. §. XI, p. 46, seqq. *c* v. i. seqq. *d* Remonstr.
Confess. cap. I §. 18.

rum, siue Graecorum siue Latinorum patrum, pias, probabiles aut iam olim receptas interpretationes : sed ab iis tum demum, & quidem modeste recedimus, quando ipsos a vero scripturarum sensu aliena, aut huic contraria afferre, in conscientia deprehendimus. Neque putamus, hac ratione ullam ipsis iniuriam a nobis irrogari : cum non tantum singuli seorsim, sed & plerique iunctim, immo omnes simul sumti, errare in multis potuerint : ipsique tamen vno ore de seipsis id vltro agnoscant, eoque diserte prohibeant, scriptis suis simpliciter fidem adhiberi, sed eate- nus demum sua probari a nobis cupiant, quatenus cum S. litteris consentiunt : contraque libere improbari, quatenus ab iisdem dissentiant. Adeat, cui visum fuerit, Erasmus, Chemnitios, Rinetos, Dallagos, Hottingeros, qui praeclare de usu pariter & auctoritate patrum commentati sunt : addanturque Philippi Iacobi Speneri, maximi nostrae aetatis Theologi, verba, in eius commentariolo ad Lucae XII, 8 reperiunda *a*. Porro ipsam huius sententiae nouitatem quibusdam suspectam fore autumo, gnarus, pluribus opinionum aetatera suam exitiosam, versaue vice pro patrociniis & auctoritati esse. Ego vero illud compertum habeo, istam obiectionem nunquam sincero proferri animo, sed praetextum esse causae longe alius, quam latere alterius interest. Scilicet adeo profundi sunt humani pectoris recessus, ut mortales non tantum aliter saepe loquantur, ac sentiunt, sed secus etiam sentiant, quam re ipsa se sentire per affectuum impetus intelligunt. Missos igitur facimus illos, qui malunt ius pridianum, quam recens, ut Erasmus in Apotheosi Capnionis iocatur, eosque depexendos suaeque conuincendos stultitiae permittimus Ludouico Molinaeo, qui characterem huius farinae hominum studiose delineauit *b*. Etenim *nec omnia apud priscos meliora*, Tacito *c* idoneo arbitro, & illa etiam vetera suo quodam tempore noua fuere, idemque & iis, quae noua nunc sunt, continget,

D 2

ut

a cap. II §. 3. p. 121 & cap. IV §. 12. p. 279. *b* Charact. mor. p. 143, seqq. *c* Annal. lib. III c. 55.

ut aliquando canitiem quasi quandam consequantur. Denique *fit noua* haec nostra sententia, *dummodo non sit falsa*, ut breuiter cum Excellentissimo D. TREVNERO *a*, venerando praeceptore, respondeam. Neque tamen est noua, sed particulatim in aliorum libris occurrit, etsi inde nos (absit arrogantia dicto) eam non hausimus didicimusue. Inter veteres enim Rabbinos non desunt, qui huc collinearunt, quorum sententias congeffit praeter Saubertum Io. Mayerus in sua de veritate historiae Mosaicae dissertatione *b*. Priorem partem nostrae sententiae etiam asseruit Herm. Hardtius supra laudatis meletematis. Id quod & Wolfgango Musculo suboluit, qui in commentariis suis ad hunc locum *c*: *Forſan, inquit, ad Sodomam redeundo Lotum & filias deſeruit. Paulo poſt: quod facta eſt in ſtatuam ſalis, non eſt ſingulari aliqua plaga, ſed coeleſti factum incendio, quo Sodoma euerſebatur. Sic & auſtor gloſſae magnae in Geſeſin, citatus Sauberto d, ſtatuit, eam non reſpexiſſe nec ſubſtituiſſe ſolum, ſed viam retro ad urbem Sodomae iniuiſſe. Irenaeus e etiam a communi ſententia diuerſe: Vxor remanſit in Sodomis. Immo Philo in libro legis allegoriarum diſerte ſcribit: Τῷ ποτινὰ καὶ Λὼτ γυναικὸς τῆς λιθεμένης διὰ τὸ Σοδόμων ἐρᾶν καὶ ἐς τὰς κατεſραμμένας ὑπὸ τῷ θεῷ φύσει ἀνατρέχειν, cuius loci hanc exhibet verſionem Chriſtianus Schotanus *f*: *Quemadmodum, & Loti vxor in ſaxum verſa eſt propter adamata Sodoma, & quia ad naturas a Deo ſubuerſas recurreret.**

IIIX. Opportune hic mentem ſubit recordatio grauis cuiusdam obſtaculi, quod niſi commode tollatur, omnia nobis dicta adhuc, penitus conuellere videtur poſſe. Nempe aiunt, illam ſtatuam & olim exſtituiſſe & exſtare hodieque. Non omnia huc auſtorum teſtimonia conuaſabimus, ſed ea duntaxat, quae nonnulla vero ſimilitudinis ſpecie plerisque ſe commendarunt, adducemus. Quae enim nimium inficetae ſunt fabulae, ſupra §. tertio iam ſequeſtrauimus.

Ioſe.

a *Differ. de luce primig. p. 24. b p. 22, ſeq. c pag. 476. d loc. cit. §. VI p. 244. e cit. l. f in Biblioth. S. p. 195.*

Iosephus igitur libro primo ἀρχαιολογίας & haec memoriae prodidit: Ἡ δὲ Λὼτς γυνὴ παρὰ τὴν ἀναχώρησιν εἰς τὴν πόλιν συνεχῶς ἀναστρεφόμενη, καὶ πολυπραγμονεῖσα τὰ ἐξ αὐτῆς, ἀπηχευεκότος τῷ θεῷ τὸ ποιεῖν, εἰς ἑλὴν ἁλῶν μετέβαλεν. Ἰσορηνὰ δὲ αὐτὴν, ἔτι γὰρ ὄν διαμίνει, quod Latinus interpres ita quidem reddidit: *b* *Vxor Lot, cum respiceret saepius civitatem & eius curam haberet, interdicante DEO, ne hoc faceret, conuersa in statuam salis dignoscitur. Vidi siquidem eam: haecenus enim manet.* Sunt, qui illud Ἰσορηνὰ illuc referunt, quod auctor indicet, se historicam texere narrationem. Nec dubitauit Sigismundus Gelenus in sua versione Iosephi id ita reddere: *dictum est mihi iam & de illa.* Certe si Iosephus per Ἰσορεῖν hoc loco proprium significare conspectum voluisset, videtur scripturus fuisse: Ἰσορηνὰ δὲ αὐτὴν καὶ γὰρ, *eam & egomet vidi.* Ceterum Io. Andreas Bosius, immortale huius Academiae ornamentum, doctissime demonstrauit, *c* Ἰσορεῖν subinde esse *videre suis oculis*: nisi forte Iosephus studiose perplexum affectauit scribendi genus, quod non vna subest ratio suspicandi. Certe & Huetius, episcopus Abrincensis, vir, qua humanior patet orbis, maximus, non temere habendam hic fidem esse Iosepho, in laboriosissimo suo opere, quod sub indico Demonstrationis Euangelicae eruditorum applausum meruit, & nos non dubitauit commonefacere. Equidem concedamus interim, oculis suis vsurpasse Iosephum illam, cuius mentionem iniecit, statuam: potuit esse composita, non vera, immo si qua fuit, non potuit non esse ficta vel certe alia. Duo hic affirmo, a me confestim dilucide comprobanda. Saepius namque contingit, vt aliud pro alio a credulis hominibus auide arripiatur, nubes scilicet pro Iunone, talesque sibi clarissime videantur videre, quod reuera nusquam est terrarum ac gentium. Vt ex multis vnum excerpam, in Frisiae occidentalis agro Documentensi ostentatur peregrinantibus fons, ex arida tellure magno excitatus mi-

D 3

racu-

a cap. XII. *b* apud hunc est caput XIX. *c* Exercit. in perioch. Iosephi de I. Christo cap. II §. 5 p. 21, 22, *d* Propos. IV cap. 10 §. 6 p. 258.

raculo a nescio quam sancto Bonifacio. Quid? quod in pago non longe illinc iacenti panis monstratur, quem illorum esse vnum perhibent, quos e lapidibus sanctus idem vir conuerterit mirabiliter. Hunc certe & illum conspicatorum nec fidem arguo equidem, nec sensum falsum esse metuo: iudicium aberrare, multo mihi facilius quivis persuaserit. Statua illa, quam fortasse vidit Iosephus, quid obstat, quo minus eiusdem fuerit indolis, ac memoratae ceteraeque papae gregis reliquiae, nobisque & hic inter alia liceat cum Hottingero *a* lepidum Iudaeorum monachorumque παραμυθισμὸν animadvertere? Nec est, quod abeamus longius, cum eiusdem commatis locus in nostro se Iosepho offerat, ubi Sethi columnarum alteram sua adhuc tempestate in Syriade superfuisse commemorat *b*. Fortasse & hic credi potest, exstitisse tunc in notata regione columnam, Sethianae titulo venditatum: veram fuisse, haud fane inde conficitur quantovis labore. Quem ad modum Iustinus martyr luculenter testatur, *c* se suis illis oculis lustrasse domuncularum vestigia, in quibus LXX illi interpretes notam adornarint versionem Hebraicorum oraculorum. Verum ut hic valde cum CL. viro, Christophoro Cellario *d*, veremur, credulitate deceptum ab Alexandrinis Iustinum fuisse: ita non minus graui ratione mouemur, ut Iosepho accredamus aequae fuisse impositum. Certe hodieque in illis locis superesse excisarum urbium rudera, inter quae & statuae, recentissimus itinerarii scriptor Maundrellius luculenter testatur loco mox producendo. Alterum nunc euincere nitimur, quod suscepimus, non potuisse statuam salis, in quam conuersa Loti coniux fuerit, Iosephi aeuo exsistere. Atqui hoc Moses, cum tacet, clamat, ut ille ait: minime quippe omnium ab ipso praetereundum, si vel Mosi aetate illa,

a primit. Heidelb. p. 366. *b* Antiq. Iud. lib. I cap. 3. Conf. Dn D. Buddei Introd. ad Hist. Phil. Hebr. §. III: Melch. Leidekkeri de rep. Hebr. lib. I: Huetius de situ Paradisi cap. XVII §. 4. *c* Paraen. ad Graecos. *d* diff. de LXX interpr. §. XIII.

illa, quae fertur, statua publice comparuisset. Neque vero solo Moſis ſilentio me adiutum volo, quanquam vim huiusmodi argumentationis peculiari opusculo adſtruere, operae pretium putauit doctiſſimus Gallus, Io. Launoſius: ſed ad morem Moſis animum aduerto, quem tam crebro memorem monumentorum ſua reſiduum aetate, vt cum lectum Ogi, regis Baſan, meminit *a* atque alia, vnā illam, eandemque memoratu omnium longe digniſſimam ſtatua praetermiſſum fuiſſe, credat Iudaeus Apella, non ego. Siue enim illa verba: *vsque in praesentem diem*, poſteriori aetate ſint inſerta, quod contenderunt nonnulli, ſiue ab ipſo Moſe, quod ſolide probant Danhauerus *b* & Hueti-
us, *c* nobis quidem ad ſcopum noſtrum perinde eſt. Nec eſt quod obuias, Moſem, quod non intrauerit Cananaeorum terras, propterea fuiſſe. Potuit enim vt reliqua, ita & hoc vel ex traditione vel ex ſuperna reuelatione nouiſſe. Accedit gentiliū ſilentium, qui mare mortuum meminere, paulo poſt afferendorum, nulla mentione ſtatuae iniecta.

IX. Inſtaant vero non pauci, & eorum vrgent auctori-
tatem, qui recentiori aeo illam ſe conſpexiſſe ſtatua re-
tulerunt. Sufficeret hic prior illa reſponſio, qua Iosephi la-
befactauimus teſtimonium: ſiquidem nemo ideo illam de
Hattone Moguntino hitoriola pro vera recipiet, quod ab
aliquo eam acceperit, qui illam in medio Rheno Turrim,
quam vocant, murium ipſemet conſpexerit. Et quot quam-
que graues viri teſtati ſunt ſuis ſe oculis vidiſſe immortalem
illum Iudaeum, cumque eo collocutos eſſe: quam fabu-
lam nihilominus deſtruxit Io. Sebaſtianus Mitternacht. Sed
age, experiamur, annon pleraque omnia ſubleſtae ſint fi-
dei, quaecumque afferuntur in medium. Teſtes certe,
quos citant, incedunt cucullati, eoque habitus in ſuſpi-
cionem adducunt ſtudii, quod hiſce hominibus naturale
videtur, quibus ſuis commentis ſuperſtitiones ſuas ſtabilien-
di.

a Deut. III, 11. Conf. Genes. XIX, 37, 38; XXVI, 33; XXII, 32;
Deut. III, 14. *b* in Lib. cui tit. Praeadamita Viſ. *c* De-
monſt. Euang. Prop. IV p. 317 §. 4.

di. Vnde non miram, in ipsis Pontificiis non aequè omnes esse naris adeo obesae, quin fucum sentiant. Audi enim Huetium *a*: *Eam* (statuam) *hodie superesse affirmant, qui has oras adierunt. Fides sit penes ipsos.* Audi Quaresmium *b* de Tertulliani supra relato carmine sic pronuntiantem: *An dicta vera sint, me latet: certe miranda potius, quam credibilia videntur.* Qui & eadem pagina: *Fuerunt, inquit, in partibus istis, qui se illam statuam vidisse testati. Sed an nostris temporibus exstet, mihi est incompertum: ego eam non vidi.* Aperte negat Nicolaus princeps Radziuilus *c*: *Diligenter, inquit, ex Arabe nostro, ceterisque, qui loca habebant explorata, quaesui, qui constanter affirmabant, nihil simile illic reperiri.* Consentit prorsus Gallico idiomate conscriptum Itinerarium hoc titulo: *Le Voyage de la terre Sainte, fait l'an 1652, par M. I. D. P. Chanoine de l'Eglise Royale & Collegiale de Saint Paul à Saint Denis en France.* *d* Reddemus hoc loco verba, ut illic habentur *e*: *Il y en a aussi, qui disent, qu'on y voit encore vne grosse pierre de sel, qu'ils estiment estre la femme de Loth, qui fut changee en ce Meteor par vne punition diuine, pour avoir regardé derriere elle, entendant les foudres & les feux, qui tomboient sur son pays; mais les modernes ne croient pas si facilement, qu'elle ait duré tant de temps.* Immo monachis quoque plus vice simplici veritas expressit sinceram confessionem. Ita enim Angelus monachus *f* refert, multos Europaeos suo tempore statuam quaesuisse, nec reperisse. Alius Minorita Anselmus *g* in sua descriptione Ierusalem, pariter fatetur, se eam non vidisse: sicut & Brocardus in descriptione terrae sanctae *h* refert, se pro ea videnda multum subiisse laboris, sed in cassum. Quis itaque moretur aliorum religiosorum, si diis placet, testimonia, eorumque satis, quod sciam, paucorum?*

Immo

a loco in §. praec. citato. *b* loc. cit. p. 763. *c* apud Saubertum diff. cit. §. 18. p. 251. *d* Prodiit Paris. 1657. *e* cap. XXXIX, quo de Mari mortuo p. 357. Add: omnino recentiss. Itiner. in Palaest. Henr. Maundrelli p. 117. edit. Germ. *f* cit. Sauberto l. c. *g* apud Quaresmium l. c. p. 763. *h* cap. VII §. 34. * Conf. omnino Chauracana p. 62.

Immo cui non suboleat fraus Anselmi monachi, qui glaucoma commentus est, quod vel perspicacissimorum oculis obiici posset? Excogitauit enim causam, cur a nonnullis peregrinantibus haud conspecta sit mirabilis illa statua. Nimirum *ad eam videndam*, inquit *a*, *periculosus est adscensus propter Midianitas ibidem commorantes, qui nemini parant.* Dicis: Tamen fuerunt, qui omnes eluctati molestias isto in loco constituti viderent nihil. Proclive est solerti monacho aliud *ὑπερβύητον*. Saepe etiam, addit, *ut dicunt, mare crescit tantum ex tumefactione, quod cooperitur tota statua & non videtur, aliquando tamen decrescit, quod videtur ad pedes & genua.* Ipsemet plura recentiorum euolui itineraria, nec tamen vllum deprehendi, quod *ἀντοψία* auctoris testaretur. Nec proinde miror admodum, cur tam confidenter scripserit Thomas Bartholinus *b*, illam statuam nostris itinerariis plane ignorari: itemque Io. Henricus Heideggerus simpliciter iudicet *b*, fabulam esse, quod adhuc dum exstet ea statua.

X. Perquiramus porro, an gentilibus hac de statua quicquam innotuerit, quae res profecto haud exigui videtur momenti. Siue enim reuera vnquam exstitit, vix potuerunt eam illi ignorare, & non mandare litteris: siue nulla in eorum monumentis eius memoria, vix verosimile, eam exstitisse. Iam vero nemo quisquam haecenus produxit, ex quo constet, statuam illam gentilibus fuisse notam. Quod enim Cl. Caluocrius *d* ex Huetio *e* adducit fabulas Siamensium, persuasorum, aenea quaedam & lapidea simulacra homines olim fuisse, in hanc formam vidiuina mutatos, additque hanc suam *ἐπιχρῆσις*: *Scilicet absque dubio a prisca historia, sed falsata, de transformatione uxoris Loti, illae fabulae sunt ortae*; id lubricum est, & vel ex Thoma Bartholino *f* refellendum, qui aliam talium commentorum designat eamque veriolem originem. Ceterum mentio excidii Pentapolitani non rara est in libris veterum, & jam pridem Diodori Siculi, Strabonis, Taciti, Plinii, Solini verba coniunctim exhibuit in aureolo suo de nostrae religionis veritate o-

E

puscu-

a vid. Saubertus l. c. §. 20 p. 252. Conf. Hieron. Scheidt Itiner. p. 62.

b lib. de morb. Bibl. cap. III p. 6. *c* Histor. Patriarch. Tom. II

Exerzit. VIII §. 23. p. 269. *d* in Glor. Mos. diff. VI cap. 1 §. 18

p. 215. *e* Quaest. Alnet. lib. II cap. 12 §. 9. *f* loc. cit.

pusculo *a* magnus ille Hugo. Addimus illis Troium Pompeium, cuius epitomator Iustinus libro XXXVI historiarum *b*, mortui maris meminit, idque describit. Sed nullibi mentio fit statuae. Cum vero vetustissimae historiae fabulis lateant implicitae, duoque illa temporum intervalla, quae Varro apud Censorinum *c* constituit, ἄσπελον & μυθικόν, nostra sententia non discerni, sed potius in unum contrahi debeant: nunc mythologos paulisper excutiamus, atque lectoris pace coniecturis, nec tamen ad rationis libellam non appensis, indulgeamus. Non desunt, qui sub Niobes persona esse occultatam Loti coniugem crediderunt, quae in saxum mutata fertur a poetis. Sic Io. Clericus *d* statuit, sic Herm. Witsius *e*, sic Iacobus Capellus *f*, sic Andreas Riuetus *g*, sic Samuel Maresius *h*, hosque secuti complures. Verum *ai* περιέσσει, utrobique nimis sunt diuersae, magisque adeo placet Georgii Sabini *i* coniectura, qui saxum refert in Phrygia exstare, praeferens lugentis formam, & emittens fontem aquarum, instar humanarum lacrymarum: quod deinceps locum fecerit poetarum mendacio. Idem & Natalis Comes attestatur libri mythologici sexti capite tertio decimo *k*. Non magis igitur ad Loti uxorem id fabulae meretur referri, ac illa de Aglauro, quam cecinit Ovidius μεταμορφώσεων libro II *l*. Acutius haud paulo vidit Huetius, qui fabulam de Philemone & Baucide huc trahit *m*: ex qua, prout eam Ovidius *n* descripsit, potissima excerpere liceat, quo sincerius ferre queamus iudicium. In Genesios libro legimus, duos angelos in hospitium a Loto eiusque uxore, iam aetate profectionibus, receptos esse, in urbe Sodomensi, pessimorum plena hominum. Poeta pariter modo:

*Iupiter huc specie mortalis, cumque parente
Venit Atlantides postisque caducifer alis.*

*Mille domos adiere, locum requiemque petentes,
Mille domos clausere ferae: tamen una recepit,*

Pa-

a lib. I §. 16 p. 57. 58. *b* cap. III §. 6, 7. *c* de die nat. cap. 21. *d* ad Gen. XIX. *e* loc. cit. *f* Hist. sacr. §. exot. ad A. M. 2102. *g* exercit. XCIIIX in Genesim. *h* in Annot. ad Bibl. Gallic. *i* in Annot. ad Ouid. lib. VI metam. fab. 3. p. 198. *k* p. 616. *l* fab. 12. *m* Dem. Eu. Prop. IV c. 10 p. 258, & Quaest. Aln. l. II c. 12 §. 9 p. 192. *n* lib. IIX fab. 7.

*Parua quidem, stipulis & canna tecta palustri,
Sed pia Baucis anus, pariliq; aetate Philemon
Illa sunt annis iuncti iuuenilibus, illa
Consenuere casa.*

*Ergo ubi coclicolae paruos tetigere penates,
Membra senex posito iussit releuare sedili,
Quod super iniecit textum rude sedula Baucis.*

Postea prolixè narrat duorum senum industriam in officio erga hospites, quae non apponimus. Tandem quod in sacris traditur, angelos istos Loto indicasse imminens Sodomis excidium, eumque cum vxore montem versus eduxisse, idem poeta hisce commemorat:

*Diique sumus, meritasque luctu vicinia poenas
Impia, dixerunt: vobis immunibus huius
Esse mali dabitur: modi vestra relinquitte tecta,
Ac nostros comitate gradus, & in ardua montis
Ite simul. Parent, & diis praecuntibus ambo
Membra leuant baculis, tardique senilibus annis
Nituntur longo vestigia ponere clius.
Tantum aberant summo, quantum semel ire sagitta
Missapoteest: flexere oculos, & in saepe palude
Cetera prospiciunt.*

Denique in sacris reperitur, & aliarum quoque historia gentium confirmatur, paludem foetidam earum urbium sedes occupasse. Sic & poeta:

*Haud procul hinc stagnum est, tellus habitabilis olim,
Nunc celebris mergis faticisque palustribus unda.*

Quemadmodum autem & aliae diuinis pandectis insertae historiae variis fabulis, gentiliū traditione fuerunt inuolutae: ita & haec de Loto eiusque coniuge in pluribus sui vestigia reliquit. Equidem non dubito, & in Orphei historia & in Proserpinae, quaedam ad Loti vxorem pertinere, ab eaque esse deducta. De hac audiamus iam solum Ciceronem, accusationis in C. Verrem libro quarto a: *Petus, inquentem, est haec opinio, insulam Siciliam totam esse Cereri & Liberae consecratam. Videtur innui fertilitas regionis illius, in qua Sodoma, quae & animum ad se per-*

traxit Loti, insignite laudata Genes. XIII, 10. Ac solent tali figura uti gentiles ad extollendam singularem terrae probitatem. Ita enim & Florus *a*: *Omnium non modo Italia, sed toto orbe terrarum, pulcherrima Campaniae plaga est. Nil mollius coelo: nil uberius solo: denique bis floribus vernat. Ideo Liberi Cererisque certamen dicitur.* Pergit M. Tullius: *In his locis arbitrantur raptam esse Liberam, quam eandem Proserpinam vocant: quam cum inuestigare & conquirere Ceres vellet, dicitur inflammasse taedas iis ignibus, qui ex Aetnae vertice erumpunt. Dicta haec flammās spirare videntur, quas notum est regionem illam penitus deuastasse. Enna autem, (pergamus in Cicerone) ubi ea, quae dico, gesta esse memorantur, est loco praecelso atque edito, quem circa lacus lacique sunt plurimi: locus ut ipse raptum illum virginis declarare videatur.* Insinuari hic puto montem, in quem se recipere iuebatur Lotus una cum suis; lacus autem apprime conspirat cum Sodomitico, ad quem & postrema Ciceronis refero: *Propter est spelunca quaedam infinita altitudine, qua Dite patrem ferunt repente cum curru exstitisse, abreptamque ex eo loco virginem secum asportasse, & subito non longe a Syracusis penetrasse sub terras, lacumque in eo loco repente exstitisse.* Haud mirum est, non omnia conuenire in uxorem Loti eiusque fata. Incerta enim sunt fabulorum vestigia, nec habent, ubi firmiter conflant: multa addunt, multa miscent, multa etiam, ut cum Comite *b* loquar, ad ornatum & ad probabilitatem adiungunt. De Orpheo similiter statuo, non vnius hominis res esse, quae ab illo gestae perhibentur: non nihil tamen ad Lotum spectare credo, quem Orpheo, velut cornici aliarum auium pennis superbienti, suas adimere nunc iurebimus. Illi igitur Orpheo, *c* verticordio nempe vati, rapta dicitur coniux, cum fugeret. Eam is quaesuisse dicitur apud inferos, caligantemque nigra formidine lacum ingressus Manes adiisse, quos circum limus niger & deformis arundo Cocytitarumque palus ianabilis unda. Obiter ut id moneam, Le-

a lib. I hist. cap. 16. Conf. Rupertus ad h. l. *b* lib. III Mythol. c. 16 p. 252. *c* vid. Ovidius lib. X met. fab. 1 & lib. XI fab. I, atque Virgilius lib. IV Georgio. v. 457 usque 527.

Lethæo etiam fluuio nomen a Loto videtur haefisse. Tradunt porro, redditam ipsi suam esse Eurydicen, ea lege, ne flecteret retro lumina, donec in supernas mortalium regiones rursum peruenisset. *Immemor heu! victusque animo respexit; ibi omnis Effusus labor*, inquit poeta. Hinc Orpheum ferunt *rupe sub aërea gelidusque sub antris* aliquandiu vitam tolerasse: ac denique a mulieribus inter nocturna Bacchi Orgia discerptum sparsumque per agros. Iam haec tam prope ad historiam Loti accedunt, vt vix ouum ouo similis. Per Musicam Orphei feras trahentem resque pariter inanimatas, singularem capio cum Marone a facundiam, qua Lotus Sodomenses ferinam agentes ac belluinam vitam ad meliorem cultum annisus est traducere. Fatentur id illi ipsi, cum hisce in eum inuehuntur verbis: *b Tu alienigena totus es in formandis nostris reformandisque moribus: quid illud vero ad te?* Cum Orpheus perditam dicitur coniugem apud inferos quaesiisse, verosimile est, eum aliquot post diebus in vastatam caelitus regionem ad quaerendam & recuperandam forte vxorem reuertisse. Quod vero ne respiceret, iussus dicitur, quousque in superiores terras rursum perueniret: vera & haec fabula est, per supernas auras concinne alludens ad montem, in quem adscendere iubebatur pius ille vir. Praeterea quod Orpheus in antro coluisse per tempus aliquod perhibetur, id totidem quoque verbis relatum a Mose legimus de Loto nostro. Denique Orpheum Baccharum furore & periisse & membra dispersa passim esse, nihil est aliud, quam Lotum vino, Bacchi (ut gentiles sentiebant) munere, dementatum, cum filiabus suis congressum esse, ex quo incestu Moabitarum gens orta & Ammonitarum, in orbem dispersa quasi, id est, vehementer aucta & locupletata. Per dispersionem namque poetas figura Hebraeis solenni insignem hominum prouentum notare, etiam ex Deucalionis Cadmaeorumque fratrum fabula liquet abunde. De Orpheo vt haec, quae adhuc dissertauimus, nobis persuadeamus, magis insuper impellit alia historia, quam rebus Orphei inter-

E 3

se-

seruit Ouidius. Nimirum Loti incestum tam graphice depingit, ut inter errores etiam quosdam, sed eos exiguos, veritas vel manibus queat palpari. Refert enim *a*, Myrrham quandam, cui pater Cinyras, hunc ardentissimo, sed impuro deperisse amore, nec ita multo post, occupato parentis vino ebrii filiamque secum esse nescientis lecto, ex eo grauidam surrexisse: sed & postera nocte idem patratum patri crimen esse filiae adhuc dum ignaro: filio vero, isto ex concubitu edito, nomen inditum Adonim. Ecquis non videat hic id, quod innuimus? Erratum in eo solummodo, quod pro duabus filiabus duas poeta noctes recensuit. Insuper non indigna videntur animaduersione ipsa nomina patris filiaeque. Myrrha namque ex Gomorrha deprauatum videtur vocabulum esse, Cinyras ex Zoar, vel potius *זואר* *Zonar* propter *ו*: ut omittam, Adon & Ammon, quae nomina sunt filii, non admodum inter se esse diuersa. Verum haec haec tenus. Gerhardus Croesius, quem in Troiana historia Hebraeorum antiquitates magno inuestigasse acumine, ex Lixfienfium Actis recorder, haud dubie in *Opusculo* illo suo *Esopato* coniecturas quoque suas de Loto eiusque coniuge exposuit. Quem cum consulere nunc haud vacet, lectori saltem indicare volui, ubi quaerere possit, quae hanc in rem praeterea. Paucis vero addam, quae ex Virgilii Aeneide *b* historiam illam adumbrare prorsus videntur. Troia certe ab hostibus improviso superuenientibus deleta, satis commode, puto, Sodomae repraesentat imaginem. Quae deinceps de refugio Aeneae in altos montes *c*, pone subeunte coniuge *d*, atque amissa *e*, & forte in urbem reuersa *f*, commemorantur, adeo dilucida sunt, lucernam ut soli accendere videremur, si vel verbulum adderemus ad illustrandum.

§. XI. Non alienum ab hoc loco fuerit, nec lectori credo molestum, historiam attexuisse recentiore, quae Sodomensi excidio tam videtur similis, quam ouum est ouo. Excerpti eam ex Gil-

a lib. X met. fab. 9. *b* libro II *c* v. 635. *d* v. 725. *e* v. 738, seqq. *f* v. 756.

Gilberti Burneti, celebris in Anglia episcopi, Itinerario, & qui rem diligentissime explorauit, nec quicquam causae reliquit, nisi si cur de fide dubitemus. Oppidum erat in comitatu Clauennensi, cui Plursum nomen, paruum id quidem, sed elegantia aedificiorum, immo magnificentia prae multis conspicuum. Huius incolae, regionis & rerum suarum fiducia, licentiosam agebant vitam, nec pio cuidam Protestantium sacerdoti, tanquam alteri Loto, qui saepenumero a vitis turpique viuendi genere eos dehortatus imminens praedixerat exitium, dicto erant audientes. Neque vero suffecit diuinae bonitati vnus mali praenuntius, sed anno clo lxxix, d. xxv Augusti, ciuis aliquis vadique per oppidum circumcurfabat, palam ingeminans, ultimam oppidanis instare perniciem, quare aufugiendum esse, si quis salutis suae serio tangeretur amore. Quid ergo? Passim irrideri & exagitari bonus vir, quae nouorum vatam solent esse praemia. Nihilofecius per complures dies eodem is modo pergebat, frustra quidem, nisi quod virgini alicui persuasit, ut relictis rebus suis ipsum sequeretur. Exierat hoc par prudentium ex tanto stultorum grege, nec paucos iam vna fecerant gressus: cum nescio quo fato mulierculae in mentem venit camerae cuiusdam, in qua res pretiosae afferuabantur, non satis obseratae. Hanc ipsam igitur ob causam infelix illa vxoris Loti aemula oppidum repetit, ibique vna cum reliquis omnibus a circumiectis obruta montibus interiit.

§. XII. Postremo loco de origine vulgaris interpretationis, cui supra iuimus obuiam, nonnihil vt addamus, nil dubito, a nugiuendulis Iudaeorum magistris exclusam eam fuisse ac nutritam, postmodumque in papae tyrannidis tenebris plusquam Cimneriis fotam diligenter & ad vigorem perductam. Etsi enim eorum aetate, quorum libri in sacro canone Hebraico visuntur, ea erat inaudita: tamen postea collapsa Iudaeorum statu a magistris, qui totos se dabant fabulis, & hanc inuectam esse vero sit simile, cum in augendo miraculorum numero partem religionis sitam esse, stolide sibi

per-

persuasissent. Inualuit ea deinceps & incrementa sumsit, secure asserta communiter, nullo repugnante: adeo ut & in Christianismum propagaretur a conuersis Iudaeis, reliquis Christianorum siue ob linguae imperitiam, siue aliis de causis nil fabulosis metuentibus. Nec apostoli eam videntur ex instituto eliminasse, licet Christus Lucae XVII tacite eandem refellerit: quando quidem magis profutura ipsi curabant, nec in tantulo errore periclitabatur cuiusquam salus, immo & falsa interpretatio utiliter poterat adhiberi. Sicque remansit ea opinio alta mente reposita, nec in dubium quidem, ut videtur, vocata sub persecutionibus. Florente dein statum Christianorum non modo brevis fuit aetas eruditorum doctorum, quos patres appellamus, verum etiam iidem aliis certaminibus de fide cum haereticis erant impliciti, & ut verum fatear, partim nulla gaudebant Hebraicae linguae notitia, partim antiquitatis praeiudicium nondum exuerant. Posteaquam vero caligine & barbarie mera Romani pontifices inuoluerant Christianum orbem, non mirandum est, & hic omnes dormitasse, inprimis quod tunc temporis, quo quis addictior anilibus esset fabulis, hoc magis haberetur Christiani nomine dignus. Quid? quod haereseos crimen metuentum erat ne impingeretur, si quis sapere supra vulgum ausus fuisset. Iam tum enim in canonicae auctoritatis fastigium euectus erat liber Sapientiae, in quo id legitur, & vulgatus idemque cum vulgo errans interpret communi inserviebat vsui. Tandem vero deducto per Erasmum, Lutherum, Zuinglium aliosque, (impari licet successu) monstri papatus velamine, ut antea sagaciores in ipsis Iudaeis fecerant, ita & inter Christianos subinde fuerunt, qui glossema hic metuerent, nouaeque interpretationi studiose incumberent. Ad quorum classem nobis quoque visum est transire, qui tamen liberum lectori permittimus iudicium, quis ex tanta interpretum caterua rem acu tetigerit. Quin immo ea, quae par est, modestia eruditorum censura nostram hanc meditationem subiicimus, ac iustar Apellis post tabulam delitescere non pigrabimur emendare, si quid sapientes lima dignum iudicauerint.